

## IN SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

### IN CAPUT II. ANIMADVERSIONES

*Nota editorial.* — El cardenal Narcís Jubany ens ha posat a les mans aquestes pàgines inèdites de Bartomeu Maria Xiberta, bo i certificant-nos de llur autenticitat. Foren escrites per l'octubre del 1963, quan era més forta a Roma la discussió entorn a la collegialitat. El mateix text, parlant de «Paulus VI in oratione quam hanc sessionem II nostri Concilii inauguravit», assenyalava amb precisió el temps al qual pertany.

Per això no és tampoc difícil de precisar quin és el capítol II d'un esquema de Constitució sobre l'Església al qual, ja des del títol, tot el text fa referència. És el que serví de base per a les discussions d'aquella segona sessió i que ja es troba a l'abast de tothom als *Acta Synodalia Concilii Oecumenici Vaticanii II. Volumen II. Periodus secunda. Pars I. Sessio Publica II. Congregations Generales XXXVII-XXXIX. Typis Polyglottis Vaticanis. MCMLXXI*, p. 231-255.

El «votum» escrit pel P. Xiberta mai no fou presentat oficialment per cap pare conciliar i per això no figura a les actes del Vaticà II, ni en el volum esmentat ni en el següent que engloba totes les aportacions orals o escrites corresponents a les discussions entorn de la Collegialitat a les Congregacions Generals XL-  
XLIX. En aquest moment és impossible de saber si el mateix Xiberta el presentà directament a la Comissió Doctrinal, en tant que membre de la mateixa; més aviat semblaria que no, donat que l'havia ofert a algun Pare, a fi que pesés en la discussió pública. Però àdhuc en cas afirmatiu, sembla encara llunyà el dia de la publicació dels *Acta* de les Comissions Conciliars del Vaticà II, i per això és adient de recollir en la nostra MisCELLÀNIA un text que contribueix a dibuixar la figura de Bartomeu M. Xiberta en el marc del seu temps i més en concret a l'hora del Vaticà II.

Intentio huius capitatis laudabilis certo est, nam adamussim respondet scopo praesentis Concilii, in quo definitiones Vaticanii I circa Romani Pontificis praerogativas complendae sunt relate ad Episcopos, ne hiatus inter summos Hierarchiae gradus esse videantur. Proposito obtinendo fit recursus ad ideam Collegii Episcopo-

rum, quasi per illius constitutionem etiam Episcopi ad auctoritatis ecclesiasticae verticem proxime adducantur. Ceterum spiritus schismati vel umbra removetur quatenus semel atque iterum inculcatur Collegium Episcoporum non aliter quam Romano Pontifice Praeside constitui posse.

Sed intentione redactorum schematis libentissime agnita, nihilominus persuasus sum ideam Collegii Episcoporum e schemate auferendam esse. Pro nunc duas causas proponam: Primo, quia doctrinam revelatam haud satis reverberat; secundo, quia inepta est scopo Concilii, quandoquidem Episcoporum munera et eminentia alia via efficacius extolluntur.

### *I. Idea Collegii doctrinam revelatam haud satis reverberat*

Collegium, si proprio sensu sumitur, directe indicat personam moralem pluralitate hominum ita efformatam, ut evadat immediatum subiectum quarundam proprietatum quarum consequentem participant personae physicae, qui sunt Collegii membra. Iamvero eiusmodi personae morales in institutis Christi Domini locum nullatenus habent. Praerogativas et virtutes et potestates Christus Jesus tradit quae sint ordinis realis et non iuridici, eas tradit sacramentaliter, ergo hominibus ipsis quibus sacramenta ministrantur; quae autem sacramentaliter accipiuntur, sacramentaliter tradenda sunt. Haec omnia sunt in campo strictae realitatis, quia in ambitu actionis divinae. Collegium autem ordinem iuridicum penitus sonat, illum nempe ordinem quem homines humanitus constituere valent. Absit ergo ut in instituto Christi vertex reponatur in persona morali quae cum sit sacramentorum incapax, nihilominus origo immediata censeatur potestatis Episcoporum quae sacramentalis est.

Verum est quod vox Collegii aliquando adhibetur sensu minus stricto, quo non personam moralem qua talem indigit, sed potius ipsos homines prout non extant dispersi, sed in unum congregati et unanimiter vel collective operantur. Si ita sumeretur vox Collegii Episcoporum fidei puritatem minime laederet, nam Episcoporum consociatio est institutioni Christi quam maxime essentialis. Tunc vox Collegii synonyma esset vocibus «Ordinis» et «corporis». Nihilominus negari non potest, falsum sensum quem denuntiavimus

voci Collegii sponte ascribi, quapropter saltem ex hoc capite vox vitanda est maxime in solemni expositione fidei. Revera Summus Pontifex Paulus VI in oratione qua hanc sessionem II nostri Concilii inauguravit non Collegium dixit sed «Corpus Episcoporum».

At certe vox Collegii Episcoporum nobis sollicite vitanda est, quia hodie viget theoria quae Collegium Episcoporum effert sensu personae moralis quae sit quasi subiectum immediatum plenitudinis potestatis, ex quo ad Summum pontificem et aliquo modo ad alias episcopos derivetur. Quae theoria penitus erronea proponitur ut attenuatio quaedam primatus et praerogativae infallibilitatis quae Vaticanum I definivit. Haec in quibusdam coetibus extraconcilia-ribus hodie ostentatur. Quare summopere dolendum esset si concilium ansam daret ut quis putaret ipsum concilium ad hanc sententiam declinasse.

*II. Episcoporum munera et summa eminentia  
alia via efficacius extolluntur*

Omnium desiderium est ut in praesenti Concilio Episcoporum auctoritas, quantum revelata veritas ferat, extollatur, sicut Vaticanum I auctoritatem Romani Pontificis extulit. Hoc aperte significavit ipse Summus Pontifex Paulus VI in oratione inaugurali. Insuper multorum sententia est Episcoporum dignitatem ea proportione exaltari qua Episcopi Romano Pontifici propinquui, ut fratrum denominatio innuit, concipiatur. Propterea plurimi renuunt explicationem ab aliis propositam iuxta quam Pontifica potestas esset ab episcopal specific diversa. Hac de causa attentionem excitare vellem in viam qua summa propinquitas obtinetur, quin Romani Pontificis primatus vel minimum deprimatur.

Scimus, Venerabiles Patres, Ecclesiam ab ipso Christo perenniter regi. Regitur autem duplice virtute divina in Ecclesiam operante: Potestate sacramentali quae confertur Episcopis dum plenitudinem sacramenti Ordinis suscipiunt ita ut eisdem perpetuo inhaereat, et divina assistentia ab ipso Deo exercenda iuxta promissionem: Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Aliunde planum est infallibilitatem, quae est summa in Ecclesia praerogativa, non ad potestatem pertinere sed divinae assistentiae

esse fructum, propter quod Vaticanum I vitavit vocem infallibilitatis, quae suggereret ideam qualitatis inherentis, et dixit «infallibile magisterium».

Nunc vero quoad potestatem omnimoda paritas viget inter Romanum ceterosque episcopos, quia omnes acceperunt plenitudinem sacramenti Ordinis quando consecrati sunt Episcopi. Nihil ergo hac in re Romanum Pontificem discriminat a ceteris Episcopis. Quoad divinam assistentiam vero, attente considerandum est, quod promittitur quidem Pastoribus, quia per eos Spiritus regit Ecclesia(m), sed certe intuitu Ecclesiae, prout haec est Sponsa quam Csrustus dilexit adeo ut seipsum traderet pro ea; talis est Ecclesia universalitate fidelium constituta. Deus permittere potest ut pars Ecclesiae deficiat, non vero Ecclesia universalis. Itaque pignus divinae assistentiae Pastoribus competit eo ipso gradu quo mittantur ad universalem Ecclesiam. Hic radicatur tota differentia inter Romanum Pontificem ceterosque Episcopos. Petrus a Christo Domino missionem accepit directam ad universam Ecclesiam; nam super eo aedificata est Ecclesia, ipse debuit fratres confirmare, idemque pascere debuit agnos et Oves. Et sic eadem directio ad universalem Ecclesiam collata intelligitur Episcopo qui S. Petro succedit, qui propterea pignus habet *absolute certum* divinae assistentiae usque ad infallibilitatem, quando reapse ad universalem Ecclesiam dirigitur, quod certe proprio nomine, non vero alio titulo derivato facit, puta titulo praesidentiae Collegii episcoporum.

Ceteri Episcopi in regimine ordinario non diriguntur ad universalem Ecclesiam, et hoc propter parium Episcoporum multitudinem. Pignus ergo quod habent divinae assistentiae non est absolute certum, quia pro singulis Ecclesiae partibus Christus promissionem non dedit. Et nihilominus omnibus et singulis Episcopis inest quaedam directio ad universam Ecclesiam: imprimis prout tractant ea quae substantialia sunt, quae ex Christianismi natura unitate et universalitate ornantur: profecto haec omnes Episcopi tractant consensu universali. Aliam quoque habent directionem ad universalem Ecclesiam, prout omnes legitime congregentur et sic congregati ad omnes fideles dirigantur, sicut contingit in concilio oecumenico. In his casibus omnes episcopi pignus absolute certum habent divinae assistentiae usque ad infallibilitatem, hinc est quod omnes in concilio Oecumenico congregati magisterium infallibile

exercent, id est magisterium cum pignore absolute certo divinae assistentiae.

Unde ulterius apparet quod auctoritas episcoporum primatu Romani Pontificis nedum obscuretur, potius magis splendescet. *Enimvero cum ordinario in Ecclesia operetur qui ad universam Ecclesiam dirigatur, is faciliter poterit omnes Episcopos congregare ut omnes simul Ecclesiam universam alloquantur, si vero non existarent nisi Episcopi ad partes Ecclesiae constricti, multo difficilius omnium Episcoporum adunatio obtineretur.*

BARTOMEU M. XIBERTA

